




BEATI MANES,

VIRI

Honestißimi, spectatißimi, & integerrimi,

DN. FRIDERICI ZILMERI,

Civis qvondam & Mercatoris apud Stetinenses primarij;

QUI

Natus annô 1576. 26. Octobris; denatus autem 1634. 3. Febr. ætatis suæ 58. hodie, nimirum 10. Februarij, horâ 3. pom. in templô Jacobæô, solemni exeqviarum sacrô afficietur;

Corporis sui exuvijs honorem ultimum,

A

Studiosâ juventute, in Ducali Pædagogiô Stetinensi, obnixè petunt;

QVIBUS

Ut mos geratur, hortator est omnibus,

M. MARTINUS LEUSCHNERUS ibid. Rector.

STETINI, *Literis* GEORGII GOETSCHII.

Johannis c. 11. v. 25. & 26.

Ego ſum reſurrectio & vita: qvi credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: Et qvisqvis vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Qvid



Vid judicandum ſit de beatâ ex ærumnoſæ hujus Vitæ ergaſtulô emigratione, Simeon ille ſenior in cygnêâ ſua cantione præclarè docet, qvando Spiritu Dei plenus, & hujus mundi vanitatem pertæſus ita ad Dominum ſuſpirat: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum, in pace.* Mors ſcilicet, qvæ incredulis & impijs maximo terrori eſſe ſolet, indeq; à Gentilibus Philoſophis φοβερώτατόν τι, res omnium terribiliſſima, qvòd omnia ſimul deſtruere videatur, appellatur; verè pijs & in Chriſtum credentibus, tantum abeſt, ut terrorem ac metum incutiat, ut ſummum potius inde capiant ſolatium, & nihil tam exoptent, qvàm ut, abſolutô miſeræ hujus vitæ curriculô, ab impoſitô crucis jugô exolvantur, & cum Chriſtô, cujus ardentiſſimô amore toti ardent, exoptatiſſimâ cohabitatione perfruantur. Etenim hi & probè intelligunt & piè credunt, mortem illorum, qvi verâ in Chriſtum fide decedunt, nihil in ſe mali habere, ſed deſideratiſſimam ἀπόλυσιν ſeu exſolutionem eſſe à concatenatis plurimarum hujus vitæ calamitatum nexibus, & januam qvaſi ac portum æternæ vitæ, qvâ qvi ſemel frui cœperint, omne hujus vitæ deſiderium facilè abjicient, & mortem verè non mortem, ſed tranſitum ex morte ad vitam fuiſſe intelligent. Sive namq; terminum *à qvo*, & *ad qvem* conſideres; ſive conditionem morientis, eumq; qvi per mortem hinc avocat, undiqvaq; intellectu facillimum erit, mortem piorum tam exoptatam vitæ ærumnoſæ clauſulam atq; pauſam eſſe, ut nemo non cum Simeone ſeniore exclamare debeat: *Domine,*

nunc dimittis servum tuum in pace. Ac primò qvidem unde, qvæso, per mortem dissolvimur, unde exolvimur? Ab innumeris persecutionibus & atrocissimorum malorum perpessionibus; ab immundo mundô, ab improborum consortiô, à Satanæ laqveis, à variorum laborum dolorũq; molestijs; imò à gravissimis propriæ carnis tentationibus & *corpore hoc mortis*, qvod dum nobiscum circumportamus, qvotidie ad varia vitia & flagitia impellimur, *videntes aliam legem in membris nostris, rebellantem legi mentis nostræ, & captivos reddentem nos legi peccati, qvæ est in membris nostris.* Qvò deinde ex fœtidissimô & inqvinatissimô hoc mundi spelæo emigramus? ad beatissimarum mentium concilium, & ad vitam illam, qvam nobis in cœlis paravit Dominus, qvæ beatô Augustinô teste, *vita est verè vitalis, vita beata, vita secura, vita tranqvilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristiciæ; vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine vanitate & mutatione; vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima; ubi non erit adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra; ubi erit amor perfectus & dolor nullus; ubi dies æternus & unus omnium Spiritus; ubi Deus à facie ad faciem cernetur, & hoc vitæ cibô mens sine defectu satiabitur.* Qvidni igitur exclamemus? qvidni suspiremus? *Dimitte nunc, Domine, servum tuum in pace;* rumpe, disrumpe ærumnosæ hujus vitæ stamina, & ocyùs, qvò suspiramus, nos transfer. Qvod sanè, ut eò animosius

facia-

faciamus, cogitemus porrò, nos qvi simus, & qvis hinc avocet. Servi Domini sumus, ejusq; , sive vivamus sive moriamur, proprij, facti non ad hanc corruptibilem vitam, sed ad æternam; hîc autem ad breve temporis momentum qvasi in excubijs constituti, ut, si advigilaverimus, & Christo Domino, à qvô ad id redempti sumus, servierimus in justicia & sanctitate verâ cunctis diebus vitæ nostræ, pro momentaneis afflictionibus æterna gloriæ pondera recipiamus. Hinc tandem qvi avocat, Deus est, cujus absoluta in nos est potestas, qvi nos creavit, redemit & hactenus conservavit; in qvô vivimus, movemur & sumus; imò pater noster est, qvi nos in manu sua descripsit & civitatis cœlestis atq; æternæ heredes adscripsit, qviq; , qvando nos hinc evocat, ex improbo mundô ad paradisi gaudia, ex peregrinatione in patriam, ex morte in vitam, à labore ad reqviem, à dolore ad voluptatem, ab æstu ad refrigerium, à mœrore ad summum bonum transfert. Qvis itaq; , si mors fragilem hanc & ruinosam corporis compagem minitabundus pulset, & intromitti postulet, non lætus exiliat, & lætabundus, ipsâ qvasi obstetricante, eò evolet, qvò δεσπότης & Dominus omnium jusserit, itentidem cum Simeone exclamans: *Nunc, nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace:* præsertim cùm certò sciat, se ad novam qvasi vitam per mortem renasci, & ex servitute ad libertatem, ex miseriâ ad felicitatem, ex turbis ad tranqvillitatem, ex perpetuis calamitatum assultibus, ad beatissimam vitæ cœlestis reqviem ab eô avocari, qvi ipse solus est optimus, & ea qvæ sunt optima, solus dare potest diligentibus se. Veruntamen non ex æquô omnibus tam instructa fiduciæ & promptæ ad moriendũ mentis suppellex est; sed illis solùm, qvi vitam fidemq; senioris Simeonis piè seqvuntur, hoc est,

qvi justi & pij sunt, & divinis promissionibus firmâ fide adhærescunt; qviq; Spiritus Sancti illuminati gratiâ, Jesum salvatorem in templô, in verbô, in sacramentis qværunt, & inventum fidei suæ ulnis susceptum, fideli pectori apprimunt, illud *salutare Dei*, & *lumen gentium* rectè agnoscunt, & verâ fide amplectuntur, ejusq; fiduciâ suffulti, nil nisi pacificam ad beatarum mentium concilium emigrationem exoptant, & cum Divô Apostolô Paulô certissimè sibi persvasum habent, *qvòd neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia verè fideles separare poßit â dilectione Dei, qvæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Qvæ omnia cùm summâ hactenus constantiâ fecisse intellexerimus virum honestissimum, spectatissimum & integerrimum, Dn. *Fridericum Zilmerum*, mercatorem hujus urbis primarium, non etiam dubitamus, qvin, contemptis omnibus mortis terriculamentis, adventante ultimô vitæ terminô, cum Simeone verâ fide ad Dominum suum, ceu servus fidelis & constans, suspiraverit: *Nunc, nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace;* exauditusq; ab eô nunc exultabundus inter sanctissimos cœlites triumphet. Nos ut lugenti familiæ honestissimæ condolentiam nostram testemur, optimi ac integerrimi viri vitam, qvam laudatissimam inter mortales exegit, brevi delineatione adumbrabimus.

Natum illum accepimus Stetini, annô post sesqvimillesimum septuagesimô sextô, 26. 8bris, parentibus optimis honestissimisq;; patre qvidem viro honestissimô & integerrimô, Dn. *Johanne Zilmerô*, mercatore apud Steti-

Stetinenses primariò; matre autem præstantissimâ & omni virtutum genere decoratissimâ fœminâ, *Annâ* Eichmanß: qvi pijssimi parentes hunc suum filiolum, in primò statim infantiæ limine sacratô Baptismatis fonte abluendum, & simul atq; primos infantiæ annos transegisset, bonis literis, laudatis moribus, & veri Christianismi rudimentis fideliter imbuendum curarunt. Veruntamen, parentibus aliqvantô pòst præmaturâ morte abreptis, sedula hæc institutio, ut fieri solet, continuari non potuit. Orphanus proinde factus à Dominis tutoribus in Poloniam, cum Polonicæ lingvæ, tum mercaturæ addiscendæ causâ ablegatus fuit, ibiq; per integrum triennium, non sine laudabili in utrâq; progressu, substitit. Hinc cùm maturior ætas jam advenrasset, colligendæ uberioris experientiæ causâ, varias regiones exteras sibi perlustrandas censuit, ut, qvæcunq; vitæ futuræ, cui animum destinaverat, utilia passim occurrerent, summâ diligentia notare posset. Et, qvod laudem non vulgarem meretur, non solùm in hoc nostro hemisphærio celeberrimas qvasq; regiones perlustravit; Hispaniam, Galliam, Hollandiam & alias plures: sed illud alterum etiam nostrati oppositum, qvod orbem novum appellitant, superato immenso prope Oceano, adijt, ibiq; famosissimam illam Ανθρωποφάγων regionem Brasiliam vidit. I nunc Papa, & ex insulsâ inscitiâ Episcopos Antipodes adstruentes, excommunicationis fulmine adure. Pomeranus noster, illô si ævum tuum fata dignata fuissent, testis non auritus sed oculatus, enormem tuam ruditatem corrigere potuisset. Sed mitto te. Pomeranus noster p. m. ex tam longinqvâ peregrinatione in patriam redux factus, fixâ Stetini rerum suarum sede, paulò post, annô nimirum 1611. 14. Januarij, solenni nuptialis sacri ritu in thalamum suum introduxit ho-

nestis-

mestissimam & cultissimam virginem, *Benignulam*, Viri honestissimi & integerrimi, Dn. *Joachimi* Köns / filiam dilectissimam, qvam verò, næ fugacia hominum gaudia! postqvam vix unicum liberorum par, filium & filiam, ex illâ suscepisset, annô 1630. 19. Octobris hora 2. pom. annum jam agentem 38. præmaturâ morte, non sine magnô cordoliô, amisit. Ex qvô tempore, usq; ad ultimũ vitæ spiritum, viduum incoluit thorum, nec luctum ac mœrorem, ex tam svavis & desideratæ conjugis obitu conceptum, unqvam deponere valuit.

Cæteram ejus vitam qvod attinet, talem se per omnem vitam, cum erga proximum, tum erga Deum, præbuit, ut nullâ in parte vel à veri Christiani, vel à boni civis officiô latum ungvem deflecteret. Qvare etiam nulli dubitamus, qvin, cùm 3. Febr. horâ 5. vespertinâ, hujus currentis anni, in constantissimâ Servatoris sui invocatione, ex ærumnosissimâ hac vitâ excesserit, jam particeps factus æternæ pacis & qvietis, inter beatissimos cœli Spiritus, lætissimus triumphet, illudq; τρισάγιον cum illis jugiter intonet: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Nos omnes & singulos studiosos juvenes, qvi nomina sua apud nos professi sunt, seriò exhortamur, ut hora 2da in auditoriô majori conveniant, & præceptores in funus prodituros, comitatu decenti seqvantur. Prop. publ. 10. Febr. Anno 1634.




Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06393

